



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem  
Varia Ervditione Noviter evoluta**

**Pexenfelder, Michael**

**Monachii, 1675**

Symbolum XXII. Pyramus & Thisbe, amoris impuri victimæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

## SYMBOLVM XXII.

## Pyramus &amp; Thisbe, amoris impuri victimæ.

4. Metam.

Ethicè.

Principium, progressus, &amp; exitus amoris pravi.

Quod Franciscus Petrarcha, vir doctissimus, dialogo 61. scripsit, *amorem impurum* esse latentem ignem, gratum vulnus, sapidum venenum, dulcem amaritudinem, delectabilem morbum, jucundum supplicium, blandam mortem, id *Pyrami & Thisbes* fabula exemplo non minus luculento, quàm formidando, lascivè amantibus ostendit. Narrationem rei ex candidato Rhetoricæ P. Francisci Pomey accipe.

Pyramus & Thisbe apud Babylonios forma, ætate, moribus ac conditione pares, amare pariter inter se cœperunt ab ipsis penè cunabulis. Amorem peperit ædium vicinitas (erant enim contiguæ) consuetudo puerilis aluit, rara in utroque forma perfecit. Crescit tamen cum annis amor; & jam ætatem attingere nubilem, inirèntque nuptias, ni parentes abnuerent ob similtates veteres, quas jam pridem exercebant. Itaque ne quid moliantur liberi, contrà quàm parentibus placet, colloquio, mutuòque conspectu, ipsis interdicitur. Quid ager Pyramus? Quò se vertet Thisbe? paries erat *domui communis utriusque*; & in pariete tenuis rima, domesticis hætenus ignota; per hanc Murmure blanditiæ minimo transire solebant.

Transibant & suspiria. Sed amplior erat amor, quàm ut per rimam tam arctam commearet. Ergo statuunt proxima nocte libertatem, quàm potiri non valent domi, quarere foris, & in nemus mœnibus proximum perfugere. Constituitur locus, umbra *mori*, arboris proceræ, fontem opacans. Pacta placent; adventat nox; Thisbe elusis custodibus egreditur prior, & ad nemus advolat; (alas namque addebat amor.) Cùm ecce tibi læna à boum cæde recens, venit,

Depositura sitim vicini fontis in unda.

Et territa Thisbe, fugit in antrum quoddam; & fugienti, retro *velum* capitis cecidit, quod inventum læna à fonte redux, ore, ut erat cruentato,



cruentato, laniat. Sub hæc Pyramus adest; cernit vestigia feræ altè impressa fabulo, móxque Thisbes amictum lacerum, & cruore tinctum. Illicet, suam vitam extinctam ratus, & discerptam bellæ dentibus, amore in furorem verso, tendit amens animi ad conductam arborem; ibique non inventâ Thisbe, incumbit in ensem, & vitam profundit cum sanguine. Thisbe interea collegerat à pavore animum, & ad morum prope-  
perabat; jámq; propè aberat, cùm

---- Tremebunda videt pulsare cruentum  
Membra solum.

Hæret illa primùm, horrore perculsa, pedémque refert, stupenti similis:

Sed postquam remorata suos cognovit amores,

In amplexum morientis ruit, immiscet lacrimas cruori, & amantem amplexata:

Pyrame, clamavit, quis te mihi casus ademittit?

Pyrame, responde, tua te charissima Thisbe

Nominat; exaudi, vultúsque attolle jacentes;

Ad nomen Thisbes, oculos in morte gravatos

Pyramus crexit, visáque, recondidit, illâ.

Hic Thisbe, dolore exanimis, laniare genas, pectus tundere, capillos vellere, uberrimóque fletu rigare frigentis genas, nullúmque facere lugendi finem; quoad velamen cernit suum in dextra Pyrami, laceratum, cruentúmque. Tum verò, mortis causam facillè agnoscens, quidquid supererat virium, colligit; avulsúmque ferrum, quod adhuc hærebat in amantis pectore, altè defigit in suum, & collapsa supra jacentis corpus, extremum in ejus ore atque sinu, spiritum exhalavit. At arbor, mirum dictu! utriusque tepesacta sanguine mortem sensit & luxit. Et quæ jam erubuerat, fuso Pyrami sanguine, *moris*, quæ priùs alba fuerant, dolore rubefactis; geminato funere, atrata visa est, funebrémque traxere ac nigrum, mora colorem.

### Ethica.

(a) Atque huc perduxit pullos suos malefuada Venus. Examinemus principium & progressus ad finem tam amarum perducentes. Primò, habitârunt Babylone; de qua urbe nobilis historicus: Nihil urbis ejus corruptius est moribus, nihil ad irritandas, illiciendásque im-

O 3

modicas

(a) Principium, progressus, & exitus amoris impuri.



modicas cupiditates instructius. Curt. lib. 5. c. 5. adeò multùm interest, quo in loco quis educetur; non enim omnis fert omnia tellus; vitia quibusdam in locis, ut

Infelix lolium, & steriles dominantur avenæ.

Multùm interest, quo ubere lactata sit proles, quo nata solo. Quid enim temperantiæ à Sybaritis, quid candoris ab æthiopibus, quid humanitatis à Scythis, quid fidei à Cretenfisibus exspectes? prima juventutis corruptela à cunis incipit; quòd si mala herba suffocetur in ortu, id vel indolis felicitati, vel boni curæ magistri tribue. Deinde amantibus istis primum libidinis invitamentum fuit, domorum propinquitas; teste Poëta:

Notitiam, primòsque gradus vicinia fecit;

Tempore crevit amor.

Igniculi scilicet primi ex frequenti occurfu, mutuòque aspectu gliscebant; hinc illud incendium, non nisi utriusque sanguine restinguendum. Monet Pelignus Vates epist. 16.

Dum novus est, cœpto potiùs pugnemus amori,

Flamma recens parvâ sparsa recedit aquâ.

Et lib. 2. de remed. amor.

Proximus à tectis ignis defenditur ægrè,

Utile finitimis abstinuisse bonis.

Sequitur in fabula:

Conscius omnis abest: nutu, signisque loquuntur,

Quòque magis tegitur, tantò magis æstuat ignis.

En indolem pravi Cupidinis. Parentibus vetantibus, quod palàm non licebat, occultis signis peragunt. Juxta Maronem Georg. 3.

----- alitur vitium, vivitque tegendo.

Hic locum habet illud Sacrorum adagiorum: *aqua furtiva dulciores sunt, & panis absconditus suavior.* Prov. 9. Nam quidquid non licet, magis desideratur. Pyramus & Thisbe cùm aliter convenire non possent, per interjuncti parietis rimas colloquebantur. Ad Pestem admittendam non opus est magno ostiò; lethale libidinis venenum per minimam aperturam instillatur. Religiosus castitatis doctor, non magni, inquit, nobis est una libidinosa cogitatio, aspectus feminæ curiosior, aliquot verba liberius prolata; sed ita cogitationes augentur & crescunt, aspectus iterantur, verba non jam licentiam tantùm, sed lasciviam olent: ab his paulatim transitus fit ad alia, quæ inter levia quoque numere-

mus,



mus, ut sunt litteræ parùm virgineæ, annuli, chirotheculæ, flosculi, bullæ aureæ: munuscula alia, dono missa, aut accepta; inde lectiunculæ & cantilenæ parùm pudicæ, inde tactus invecundi, inde alia atque alia, mihi non nominanda. Hierem. Drexel. lib. 2. Nicetæ. c. 12. Ita per rimam, per tenuissimum foramen, primam mali labem traxere Pyramus & Thisbe, per angustissimum hiatum serpsit flammula, quæ mox in flammam excrevit; factumque, quod Poëta de Didone Æneæ amoribus capta refert Æneid. 4.

At regina gravi jam dudum faucia cura  
Vulnus alit venis, & cæco carpitur igne.

Hic calor non tantum in præsentibus, sed etiam in distantibus & muris separatos agit; experti sunt amantes hi, jamque gravius sentiebant Veneris sive facem, sive jugum, quam ut excutere possent. Seneca in Hippol.

Qui blandiendo dulce nutrit malum,  
Serò recusat ferre, quod subijt jugum.

Quid igitur? eò processerat amoris vehementia, vel potius insania, ut nocentem consiliorum suorum adjuvicem adhiberent:

Multa prius questi, statuunt sub nocte silenti  
Fallere custodes, foribusque excedere tentant.

Verè in Elegijs Ovidius:

Nox & amor, vinumque nihil moderabile suadent,  
Ille pudore vacat, Liber, Amorque metu.

De Thisbe prosequitur Poëta:

Callida per tenebras, versato cardine, Thisbe  
Egreditur, fallitque suos, adopertaque vultu  
Pervenit ad tumulum, dictaque sub arbore sedit.

Jam propior fit exitio suo puella. Atque hoc ipsum est, quod castitatem vendibilem facit, nocturnus & clancularius ex ædibus egressus. Monet parentes Siracides. c. 26. *In filia non averte se, firma custodiam, ne inventa occasione, utatur se.* Id est, si habes filiam non averte se ab intuitu & conversatione juvenum, sed in omnes liberè oculos conijcientem, omnia petulanter circumspicentem, omnia invecundè lustrantem: observa & custodi eam, ne data occasione, abutatur sua libertate, lasciviâ, incontinentiâ, seque permittat ac dedat libidini. Quod si pedem insuper extra lares de nocte efferat, remedium adhibe, quod Maro suggerit lib. 3. Georg. de ovibus loquens: quam videris

---- seræ



---- Seræ solam decedere nocti ,

Continuò culpam ferro ( bubulo nervo ) compeſce.

Nec minor filiorum & cæterorum domesticorum habenda cura, ut omnes noctu sub clave sint. Origenes in cap. 1. Job. Omnia, inquit, quæ deliquerint filij, de parentibus requiretur, qui non erudierint, neque corripuerint eos. Hinc puella, quæ virginitatem suam prodidisset, jubebatur in lege veteri eijci extra fores patriæ domûs, & lapidibus obrui. Deut. 22. Atque, ut vult Oleaster, ante ipsas parentum ædes supplicium irrogabatur, ut documentum sumerent alij, qua cura, studioque filia sint servandæ.

Sed furtivi hujus amoris quis denique finis extitit? Lusus suos Venus, ut solet, in tragœdiâm mutavit, & animorum vulnera Cupidineis sagittis facta, in corporis quoque interitum, carnifice gladio, vertit. Nec rara sunt etiam hodiè ejusmodi funera, simul tumulto, simul orco inferenda. Romæ Veneris & Libitinæ templa conjuncta erant, ut sciretur, brevem ab illa ad hanc esse transitum. Nota est historia de Lubecensi juvene, qui exhaustis opibus, proculcatis matris viduæ monitis, precibus, lacrimis: unius mulierculæ blandimentis eò deductus est, ut denique egens, mœrens, desperatus, cultrum per medium pectus adigeret, hærentemque in orbem rotaret, supplicio in eam corporis partem incumbente, in qua primam sceleris pestem hauserat. Cadaver in profano sepulchreto humatum avexerunt mali dæmones, cujus indicium fuit labes tumuli, altera post nocte vacui. Et verò quis amantium, an potiùs amentium stultitias & insanias explicet. Hinc passim in libris, quod alibi scripsi, versuti lenones, fallaces lenæ, pellaces Thaides, deceptæ Europæ, illusæ Danaæ, victæ Atalantæ, infelices Thisbæ, ingeniosæ Ariadnæ, Zelotypæ Deianiræ, ultrices Medææ, animosæ Lucretiæ, rivalium pugna, Briseides: amoris victimæ Pyrami, amandi artifices Leandri, defleti Adonides, mactati proci Penelopes, raptores Helenarum Parides, horumque similia propudia, in quibus Venus & Cupido paratragœdiatur. Leandri meminimus, juvenis Abydeni, quem puellæ Sebastenæ, *Erûs* seu *Herûs* amor ad eò impotenter rapuit, ut, cum ea in oppositi littoris oppido *Sesso* habitaret, non dubitaret noctu per fretum tranquillum ad eam tranare. Quod ubi aliquoties feliciter ceciderat, factus audacior, etiam mari tumido & impacato se commisit; sed vi ventorum, fluctuumque victus, cum submergeretur exclamasse dicitur:

Parcite dum propero, mergite dum redeo,

Ad eò



Adeò ne inter undas quidem ignis ille, *qui devorat usque ad perditionem.* Job. 31. extingui potuit. Neque fabulæ modò, sed etiam historiæ amoris improbi tyrannidem produunt. Boterus refert lib. 9. c. 3. Politic. Galeatius Mantuanus, vir sanè impiger, Papiæ cùm hibernaret, fortè in ponte puellam, quam unicè amabat, obviam habuit. Ea, ut per blandam aliquam jocandi speciem, amantem ad colloquium invitaret: Quia tu, inquit, bellissime amator, qui tantùm tibi armatus in acie places, è ponte in amnem, amoris gratiâ, desilis? Hoc ille audito, concitato repentè equo, sese in flumen præcipitat; equo exanimato, vix Ticino natabundus emerfit. Alius ex hoc Phrygum genere, illustribus natalibus oriundus, auricularem sibi digitum præscidit, eùmque litteris insertum, in pignus amoris ad amasiam misit. Hoc Bruxellis contigit; quod jam narrabo, Gandavi accidit. Prænobilis viri filius super puellæ, quam deperibat, pectus, fortè acum conspexit; quam sublatam ori inseruit, simulque cum ea mortem deglutivit. Taceo plura hoc æstro percitorum in utroque sexu exempla; unum hoc, quod gravissimus historicus scribit, præterire nequeo. Granatæ servulus captivus herilem filiam in amorem sui, & fugam ex ædibus paternis pellexit. Insequente hero cum famulis, in altam rupem evaserunt; cùmque ad hortatus mitiores descendere nollent, sagittis in eos pugnatum est. Adacti desperatione, quod unum restabat, mori eligunt, & mutuo complexu arctè colligati, ab ea parte, quâ sævus pater imminebat, sese præcipientes devolvunt. Sic in subjectam vallem delati, miserrimè sunt extincti. Nomen loco Petra *amantium*, inò *amentium* hæsit, nam ruinam hanc gravior secutus casus, ambos in imum tartarum præcipientes traxit. Hunc ludum ludit Cyprius puer, hoc toxico suum miscet philtum & furias mortalium mentes in exitium rapit. *Mariana in hist.*



P

SYM-